Summa pietate, doctrina maximarumq; rerum usu & cognitione
prædito. D: Ambrosio Blaurero ecclesiastæ Christi pastori. do-
mino ac præceptori suo in primis obseruando. Johannes
ab Vlmis S D D.

Etsi de tua erga me beneuolentia minime dubitabam, uir doctissime, qui cum cæteris in rebus omnibus, tum uero in amicitys tuendis constans esses & fidelis exploratum haberem, tamen scito literas meas tuas ex ea etiam parte fuisse iucundissimas, quaterus me de perpetuo isto tuo in me amore certiorem faciendum putasti. Etenim sic mihi antea persuaseram, esse te uirum omnino cum omni literarum genere præstantissimum, tum uero incredibili quadam integritate atq; animi constantia admirabilem, tanta autem te uel humanitate, uel suauitate præditum esse plane nesciebam. Sic enim uitam hominum esse arbitrabar, uti quisq; grauitate, temperantia, dignitate, doctrina maxime excelleret, ita se adhæc familiaria quidem officia minime demitteret. Nunc uero lectis tuis literis quas ad me, ne subinuitatus quidem meis, optimas & suauissimas dedisti, sane expectationem meam longe superasti, perfecistiq; ut ipse à me sis posthac ualde amandus, non ut antea laudandus modo, & suspiciendus. Nam primum (ut ad tuas ueniam literas) quod mihi de salutatione, à sorore tua matrona me Hercule optima & sanctissima meo nomine tibi relata, gratias agis, facis tu abundantia quadam humanitatis tuæ, ut ea quoque grata habeas, quæ tibi nisi libenter præstarem, is ego certe non essem, quem tu me in literis tuis prædicasti, quanquam fortassis rectius fecissem, si ipse potius aliquid ad te literarum dedissem, quibus amorem erga te meum, & animum gratum tibi significassem. Scribo equidem ad nonnullos istuc etiam cum nihil opus est, sed ad eos omnino quibus cum aut domestici usus, aut familiaritatis aliquid intercessit, te ista grauitate, dignitate, doctrina uirum istis occupationibus quasi fluctibus obrutum hominem insulsis meis literis interpellare hactenus non sum ausus. Quod si ergo aliter à me est factum quam tuus erga me singularis amor, meaq; item erga te perpetua obseruantia postulare uideatur, uelim cum mihi id imprimis molestum esse iudices, tu uero me posthac non commissurum credas, ut ullo uel temporum, uel locorum interuallo iter a te curaturum certissimo uel illud argumento esse mihi potest, quod omne tuum mihi studium atq; operam, tuas insuper opes & fortunas si modo unq; earum id pati queant rationes tam benigne ac liberaliter obtulisti. Omnino, etsi mea fortuna est hoc tempore, ut nihil horum abs te petam, etiamsi non tam in fœlici res meæ essent statu, scito tamen egregiam istam tuam erga me uoluntatem promissorum tuorum exitu, nobis multo esse iucundiorem non quoijsq; ostendis opinionem uiteris meam (pollicitus enim mihi sum de te semper omnia quæcumq; ab homine amicissimo, & eodem liberalissimo expectanda essent) sed literas legens tuas, prolixam istam & beneficam tuam naturam mihi cernere atq; plane intueri uiderer. Itaq; cum gratias tibi, ut debeo ago maximas, tum ut in ista ad me amandum animi inductione atq; uoluntate perseueres te uehementer etiam atq; etiam rogo, de me enim sic tibi persuadeas uelim, nullum esse neq; officij neq; studij genus, quod quidem à me efficiri possit, quo non ego ad te tuosq; omnes ornandos extollendumq; sim libentissime usurus. Sed hæc suo loco, suo tempore

commodius. quod te scelestum illud ac nefarium Constantiensium cuiusmodi facinus grauiter
torquere scribis ualde tibi assentior, quis enim non gemeret, quis non arderet dolore? urbem
natura ac loco munitam, succinctam portibus, armatam muris, uiro tutum omnium presidio
(ut mihi certe semper uidebatur) septam atque stipatam, tot telis impia impia seditionis, et
facibus cruenta conuiuationis esse obsessam. O urbem πανταχόθεν σασαλεύουσαν, ὡς ὅτε πολυτρω-
τοῦν θεῶν δεῖνα ἔδοξεν ὅτι ἐστί σοι βαρύς. omnino uerba mihi deerant, quibus dolo-
rem tibi meum ex hac tua uulnere et desperato casu contractum significem. sed quid quasi
tantopere horum casum dolemus, quorum inullus adhuc ingemuit, nihil cuique doluit nemo est
est quaestus, nemo neque deum neque homines implorauit, nemo supplicauit. tu nunc tus es offi-
cio tuo, eaque mente fuisti semper, ut nihil in uita omni tua magis tibi praestandum praeter cul-
pam putaris, qua etsi tenereris erroris humani, quod facile non dixero, à scelere certe liberatus
esses, obstrepet inanis turba seruunculus ac plausus, quamdiu deo Opt. Max: uisum erit. tu uero
maximum habes acremque iudicem, uigilantem arbitrum, uerissimum et religiosissimum tuorum
omnium dictorum, consiliorum atque factorum testem, conscientiam mentis tuae, quam à deo illo
naturae principe atque opifice accepisti. à qua una laudari te et plaudi tibi id pluris facies, quam
iudicium uniuersi mundi. Neque enim uel praeuidicia, uel testimonia multitudinis recipit do-
minans, et tanquam iudex mundi deus, sed uni conscientiae fidem habet, illius uel laudatione boni
uiri in aeterna remigrant domicilia, uel uituperatione ac reprobatione mali ab eis excludimur.
Testaque mi praeceptor forti magnoque fac sis animo, et ut tam maximi et praepotentis dei uolun-
tatem, quam uulgo acerbissimam putat, non tam horreamus, quam multitudinis opinio
ne timenda est. Hoc nobis ipsum cum persuasionis nostrae certa fides, tum etiam ipse a-
nimus praestare potest, quem quidem tu, cum et natura sis nactus optimum et multa-
rum rerum usu, multaque doctrina, et quod caput est religionis Christianae pietate instru-
ctissimum, feras ea moderate oportet, quae tu uiro dei iudicio ipsis euenturа praedixisti.
scriberem plura, aut his etiam leniora, nisi tum ea te adhuc meminisse certo scirem, quae
in hanc nobiscum rationem multa in concionibus tuis disputasti, tum uero eam esse ani-
mi tui firmitudinem, ut ne his quidem remediis magnopere indigeas, facere tamen ppter beneuo-
lentiam non potui, quin tibi hoc tempore meum uel officium per literas praestarem uel amorem
quacumque ratione testificarer. De Anglia statu nihil est quod scribam nisi ipsam ad
summam euangelii dignitatem florescere praestareque et uiri, ut indies magis magisque se ab omni
superstione et ficto dei cultu liberet atque expediat. quae in concilio Londiniense nuper ha-
bito, dicta factaque sunt, Bullinger uiro optimo et doctissimo articulatim iamdudum si-
gnificauimus. ex eo igitur subtilius singula, à me haec sumatim pauca. caelibatum sacer-
dotibus esse remissum, impuram illam et sacrilegam panis et uini metamorphosim fin-
ditus deletam atque extinctam, uerum eucharistiae usum renouatum, altaria quaque illa
meritoria radicitus extirpata, quid multis? illud dei optimi maximi concessu atque iniunctu
effectum est, ut uiro bono ac simplici ueritatisque amico, hic libere ac tuto uiuere liceat. D.
Petrus Martyr totius papistici cultus terror et fulmen, superiori mense cum huius Ac-
demiae doctoribus de Eucharistia acerrime disputauit, idque tanta sententiarum gravitate, ac

uerborum pondere, ut aduersariorum rationes in ipso sepatorum regis uirorum praestantissi-
morum presentia, factae sint omnino mutae, debilitatae, fractae atque abiectae. harum ad te
exemplar disputationum breui, ut spero ad te mittam, quibus haec omnia uerissima esse
cognosces. Illud praeterea musikwteron ad te scribam, tu sagacius odorabere. οἱ μὲν γὰρ ἐν
πανταχόθεν σασαλεύουσι, καὶ φόνου ἤδη πολλοὺς τινὰς πεποιήκασιν οἱ δὲ
τῶν εὐσεβῶν ἐχθροὶ ἀφανιάζουσιν, οὐδὲ τῷ θεῷ οὐδὲ τῷ βασιλεῖ πιθαρχοῦντες.
τὸν νόμον τὸν ἐξ ἀέθεων κελούμενον, τὸν περὶ τῶν ἀγάμων, καὶ τῶν φόνων, καὶ τῶν
λειτουργιῶν, καὶ τῶν τοιούτων τινὰ ἄλλα. ἀνοσιουργήματα μὲν ἤδη ἀνακεκαθάρθαι καὶ βε-
βαιῶσαι ἀπὸ πολλῶν μὲν ἔλοιντο. Νυνὶ δὲ πολὺν χρόνον ὁ βασιλεὺς ἐπ' αὐτοῦ
ἀγῶνος. ταῦτα δὲ πάντα οὐκ ἀφμαχεὰν πάντως καὶ δὴ καὶ πρὸς τὴν νομιζομένην τὴν πρὸς
τὸν ἀεὶ παύσασθαι προσδοκῶμεν. οἱ δὲ ἀθεριανοὶ οἱ τὴν παπιστικὴν φρονοῦντες
τὸ τελευταῖον εὐσχημονοῦσι, συλληφθέντα γε πολλῶν, καὶ ἑνὶ γε καὶ φθέντων, καὶ τὸν
κεφαλὰς τοῖς τῆλοκεσι προσπεπωμένων. Βιβλίον δὲ περὶ ψαλμῶν Ἐδουάρδος ὁ βασι-
λεὺς ἔκτην ἤδη τὴν ἡμέραν πρὸς τὸ σφετέρου τῶν παπιστῶν τὸ χάλκινον
διαθεμένου γὰρ λέγω) τὴν λειτουργίαν τὴν Μίσσαν καλοῦσι δλνῶν δια-
βάλλεται, οὐδ' ὀλίγοστὸν περὶ τούτων ἐν τοῖς αὐτοῦ νόμοις μέγας ἀκυρῶσαι ὀνο-
λογούμενος. Quod existimo tibi tuum tam sapienter ac fortiter ferendum esse, quod
quidem quod tibi cum multis bonis est commune, reuocans animum optimum illud et sapientissi-
mum Euripidis dictum in memoriam, ἔπασε μὲν ἀνὴρ, ἐστὶ τῷ πεφύκοτι, ἔπασε δὲ
χθών, ἀνδρὶ γενναίῳ πάλεος. καὶ οἱ γενναῖοι, καὶ φιλόπονοι, καὶ σωφρόνες ἔστιν ὅποι τὸ ἐ
λθοῦν, εὑποροῦσι καὶ διαγουσιν ἀνενδεῶς. haec dicta non male fabulantur, sacra ue-
ra literae rectissime attestantur. Caeterum quod terram illam in qua tuas ad me dederis lite-
ras, te non diutius laturam uereris, nihil esse spero, totoque animo confido, gentem hanc doctis-
simam et humanissimam tantum facinus nunquam commissuram. si uero nostram de se ex-
pectationem (quod deus prohibiat) fefellerit, tuto huc ad nos conuolare poteris, tuus certe
aduentus nobis pissque omnibus longe gratissimus erit. Tu modo si quid unquam eiusmodi facere
certo decreueris, per deum te rogo ea de re nos primo quoque tempore certiorem reddas. eo sane
ita me deus amet obuiam tibi quam longissime properabo. sumptum omnem et laborem hac
in rem perquam libenter insumam. habeo hic uiros principes, in primis uero deum Opt. Max.
meae fortunae fautorem optimum. nam hoc illo ipso die quo haec ad te scribo Princeps Dor-
setiae uir amplissimus summaque authoritate omniumque rerum abundantia ornatus, per suos
huc familiares ad me literas et pecuniam misit. quibus literis in singulos annos 20 co-
ronas se bona fide daturum pollicitus est, iamque duodecim praesentes numerauit. accedit
item summa principis Wilhelmi Par humanitas, quaque non tanta liberalitas. ille ipse sa-
tis latina lingua in hunc modum inter caetera est allocutus. Joh: tuto me accedere poteris. et
quacumque re tua tibi ope prodesse potero, me id factorum deum testor. id non tam eo scri-
bo ut rem tuam cognoscas statum, quam ut huc te meis inuitem literis tibique persuadeam
nusquam te nec tutius commodius quam hic uiuere posse. quando enim me humilem atque abie-
ctum tanta prosequuntur liberalitate, quid obsecro in doctissimi omnium rerum
cognitione praestantissimi uiri facient? sed de hoc alias. Reliquum est ut uale
as nosque ut facis diligas; fratrem tuum uirum optimum et doctissimum, uxorem tuam

XII 89 d

& sororem matronas optimas meo nomine multum & officiose salutabis, eisq; amplissimis uerbis ea uelim polliceare omnia, quæ sint ab homine amicissimo eodemq; gratissimo expectanda, faciam, ut nihil eis temere de me recaperis. ego quidem hic & memoriam uestri summa benevolentia tuebor, & literas tuas ea quam mihi proposui spe expectabo. Valebis iterum atq; iterum, & à me & à D.D. Petro uiro me hercule tui amantissimo plurimum in Christo saluebis. Dedi Axomiæ

Ego Io: Andreas à Croaria pastor vigilantissime hoc tempore, ob capitis mei dolorem ac temporis angustias Johannes ab Ulmis ad te literas dare non potero, sed Jesus; uer Tuus quam primum ad meas de meo liter: Tuas de Jesu. ab misero ad te quoq; de rerum mearum scribam academia nostra iam optimis lectionibus exornata adeo ut no valde profectionis meæ iam pœniteat, 20 floremis in singulos annos provectus iam iusmo no Ultra. Quare Alberto Blaurero ~~meo~~ negotium ut ad nos iter suscipiret non dissuaderem, omnium artium facultates ac signaros professores habemus bonas. Eaq; omnia iam à Regijs Visitatoribus sunt constituta. Vale deus opt. Max. diu te salum incolumemq; conservet. fratrem tuum singulari doctrina ac prudentia preditum virum D. Thomam Blaurerum, uxorem quoq; et liberos tuos familiarissime salutes.

Summa pietate doctrina et optimarum artium cosni
ne pdito: D: Ambrosio
Blaurero patrono suo
in primis charo,

Joh: ab ulmis